



R 3.175 q.

21 22

A. D.  
DISQVISITIO PHYSICA  
*De*  
**METEORIS**  
IN GENERE,

*Quam*  
Inclusæ Facultatis Philosophicæ  
consensu

*SUB PRÆSIDIO*

*Eximii & Humanissimi*

**DN. M. JOHANNIS MAUCKISCHII**

*Freibergensis, SS. Theol. Baccal.*

*Publicè ventilandam.*

*porrigit*

**GOTTFRIDUS Richter**

*Vratisl. Silesius.*

*d. XII. Augusti*

*Anni CLO IDC III.*


*Horis Locaq; consuetis.*

---

LIPSIAE

*Typis heredum TIMOTHEI HÖNI.*





Tο Κυρίς συνεργάτη!

**V**antum inter Philosophiam interest,  
Scateras artes, tantum interesse existimo in ipsa Philosophia, inter illam  
partem quae ad Homines, & hanc quae  
ad Deos spectat.

Quæ Senecæ verba in Quæstionum naturalium frontispicio  
prolata, ad nostrum institutum accommodare, & veri Dei co-  
gnitionem quadantenus elicere non dubitamus. Quod si enim,  
quoties cœlum conspicitur, Ethnicis quoque fatendum est, esse  
Numen aliquod præstantissimæ Mantis, quo Hæc regantur, nec  
quicquam in tota rerum universitate sibi, quod Opificem suum  
non quasi digitis monstreret, mortalibusque cognoscendum pro-  
ponat, quanto magis nostrum erit, qui perspicuâ Dei cognitione  
sumus imbuti, ad exsequendam Numinis divini reverentiam in-  
citari, quoties vel omnium loco Meteora saltem, pulchra Dei  
Conditoris spectacula, contemplamur. Quid illa commoditatis,  
quid utilitatis inferioribus hisce conferant, animalium testatur  
salubritas, tota terræ machina loquitur: verum quid sint, qui-  
busve orientur caussis, penes paucissimos. Itaque nec nobis oppro-  
brio futurum confidimus, si levia quædam, informari non spe-  
ctari cupientes, de Meteoris in genere, illorumque caussis inquirendo  
porrigimus. Quæ faustiter cedere jubeat, qui teste Nazianzeno,  
in Orat. de Athanasio, τὸ τῶν ὄρεων τὸν ἔχατον, καὶ πόσος θεωρεῖς  
αἰώνας, id est, qui omnium rerum experendarum novissi-  
mum illud & ultimum, in quo omnis acq[ui]escit contemplatio.  
sit ergo

# THESIUM I.

**M**Eteorum à μελά & ἐώρα, hoc est, sublimitas dicitur, qvod hæc in sublimi siant, & quasi pendula videantur.

## Ἐξήγησις.

§.1. Expansis itaq; velis portum relinquentes egressi hiscè metrò exordimur, atq; ve vocem ipsius rei primiùs indagandam esse, celeberrimo subtilitatum magistro Scal. de causis lat. Ling. c. i. perhibente discimus. In hujus autem vocabuli Derivatione, non ubiq; concordes Doctorum invenies sententias. Quidam, ut Albertus Magnus, à μέλαινῃ trans & Dewegv contemplabile deducunt, qvod hæc in amplissimo mundi theatro se non sine affectuum concussione spectanda exhibeant; alii teste Beccmanno de orig. lat. ling. p. 292. à μέλαινῃ & ὥρᾳ ob eandem rationem; alii deniq; ve à μέλαινῃ & ab οὐρανῷ tollis, qvod hæc in altitudinem tollantur, & illuc generentur. Nobis hæc videtur convenientior quam Scholiares Sophoclis à μέλαινῃ & ὥρᾳ, teste Scapulā in Lexico, fieri tradit. Est autem ἐώρα idem qvod αἰώρα, qvod vas pensile vel pensilis exercitamenti genus notat, vid. Budaeus in Lexicop. 1038. a verbo αἰώρω in sublimia tollo, clevo, subveho, suspendo, qvod exhalationes in sublime attolluntur, & ipsa Meteora in alto quasi suspensa & pendula cernuntur, ut ipse Philosophus testatur, qvod μετέωρα τὸν γενινῶν καὶ πάσα τοπον ἡ Φορᾶ τὸν ἀστρων accidunt. Meteor. c. i. & verbum μετέωρος in hoc significatu usurpat lib. i. Meteor. cap. 10. Enī τὸν καθ' ἡμέραν αἰτμίζοντος αὐτὸν μὴ μετέωρος δι' ὀλιγότητα τὸν αἰώνα πυρῆς &c. sive qvod hominum animos suspendunt, & dubios incertosque reddunt, tum, quando non semper pari felicitate in ipsorum cognitionem penetrare possunt, unde ipse Philosophus hoc ingenuè fateri non erubescit: εὐοίς τοι μὲν ἀπορεύεται, τοι δὲ ἐφαντόμενα lura τεγμάτων, tum quando ipsis terrores incutiuntur, teste Lucretio:

— — — quæ fieri in terris cœloq; ve tueruntur  
mortales, pavidis qm̄p endent mentibus sapè  
efficiunt animos humiles, formidine Divūm.

§.2. Nee



§.2. Nec hanc derivationem istud infringet, quod non omnia Meteora in sublimi fiant, cum a potiori denominatio facta fuerit. Hinc Alstedius: et si quædam in terrâ sunt, ( quæ ideo a quibusdam appellantur Nerrera ) non tamen ideo nomen usitissimum est repudiandum: præsertim cum illa quæ intra terram sunt, ex illâ tandem erumpant, & alta petant, sive sursum ferantur, si nihil impedit: ut in terra motu videre est, in quo aet primò in terra conclusus tandem erumpit, Encycl. l.7. c.8. p.467.

II.

Meteora insuper vocantur 1. imperfectè mixta. 2. Impressiones, 3. ab ipso Aristotele πάθη seu Affectiones.

Εξήγησις.

§.1. Dicuntur (1.) corpora imperfectè mixta, teste Magiro, l.4. Phys. cap. i. pag. 288. vel collatione animatorum corporum, vel propter subitam & generationem, & dissolutionem. Nam concretio vel mixtio elementorum in his corporibus imperfecta vel minus absoluta esse videtur, quam perfecti corporis compositione. Unde quoniam verè distinctæ miscibilium servantur naturæ neque perfectè sunt unitæ, non diu durant, sed in illud elementum, quod in ipsis prædominatur, statim transeunt.

§.2. Vocantur etiam (2.) Impressiones, idque juxta Meurerum p.49. vel passim, quod sint veluti impressæ imagines, quæ vel aeri & nubibus impressæ cernantur, non aliter atque cœræ signum solet imprimi & impressum oculis conspicere, p.44. vel activè. quod calor & frigus suam vim celeriter imprimat, & mutationem aliquam inferat, quibus addit laudatus. Autor p.50. Meteora impressiones quoque dici posse militari vocabulo, quod vis caloris aut frigoris celeriter & violenter invadat exhalationes, & subito mutatione in iis facta, celeriter producat hujus spectacula, non aliter ac delecta militum manus hostium copias ex improviso & cum impetu invadit, easque subito terrore afficit, & non raro in arctum cogit & impellit.

§.3. (3.) Tertium nomen est ipsius Philosophi, qui l.1. c.1.

Αβ

Meteor.



Meteor. Meteora πάθη sive Affectiones indigitat, hoc forte an sub-  
innuens, qvōd Meteora non tām sint ipsa corpora, qvām corpora  
rum affectiones, prout Cl. Sperlingius p. 867. Phys. ea potius per af-  
fectiones qvām per corpora imperfectē mixta definienda esse con-  
tendit. Sed de his tūm in definitionis evolutione, cum etiam in  
ipso conflitu pluribus differetur. Addi etiam potest, Meteora dici  
πάθη à comparatione παθῶν in corpore humano: sicut enim illa  
hominem diversimodè afficiunt, sic Meteora vapes & exhala-  
tiones. Adi Meurerum p. 27. Meteorol. ubi singula Meteororum ge-  
nera qvædam similia in corporibus hominum habere, satis ju-  
cundè ostendit.

### III.

ΜΕΤΕΩΡΟΥ (1.) in genere notat illud, qvōd sub-  
lime & in altum sublatum ac suspensum est;  
deinde (2.) metaphorice, illud, qvōd expectatione  
homines suspensos tenet; (3.) in significatu stri-  
ctiore & natūrā έξοχῆν Corpora hæc imperfectē mi-  
xta, de quibus jam agimus.

### ΕΞΗΓΗΣΑ.

S. 1. Prima hujus vocis acceptio ex ipsa derivatione  
vocabuli maximè notescit. Usurpatur autem hoc vocabulum de  
variis rebus in altum erectis, v.g. de equis, qvi posterioribus pedi-  
bus insistentes, eriguntur; de herbis, qvæ non sunt profundioris  
radicis, sed in altitudinem extenduntur; de nautis qvi in altum  
provehuntur, prout hæc apud Budæum ex Theophrasto & aliis eruun-  
tur, p. 1040. & 1041. Confer etiam Snidam in evolutione hujus vocis.

S. 2. Altera acceptio est metaphorica, & usurpatur de rebus  
maximè dubiis, uti in illo Demosthenis: Ετι γδ τὸν περγαμέτων  
ὄντων μετεώρων, καὶ τὸ μέλλον! Θαύματα σύλλογοι καὶ λόγοι πα-  
ρέδαποι καὶ τὸν αὐχορεῖν έγίγνοντε πότε. Ex quo μετέωροι δικη, caus-  
la qvæ pendere latine dicitur, cuius scil. Judicium lūpensum est,  
teste eodem in b. l. Svidas vero in voce μετέωροι hæc adjicit: ἡσα  
μετέωροι ταῦς ψυχᾶς καὶ περὶ τὸ μέλλον εἴ ταλαιπωτες. Ex quo  
jam



jam illud Christi μὴ μετεωρίζεσθ, Luc. 12, 29. enucleari posset, qvod  
videlicet non μετεωρούια studium interdicat, sed animo su-  
spenso esse prohibeat, uti apud Matthaeum c. 6, 25. μὴ μετεωρίζε-  
ponitur.

§.3. Tertia acceptio, qvæ etiam hujus loci, hodiè est ma-  
ximè decantata. Unde Aristoteles etiam jam olim tractatum de  
Meteoris μετεωρούια vocatum fuisse asserit l. i. Meteor. c. i. hisce  
verbis: Οἱ πάντες οἱ ἀερόπερι μετεωρούια ἐκάλεονται: sed ante-  
quam hoc abeamus, non possum non ex Budœo vocab. μετεωρο-  
γεῖν eruere, qvi illud non saltem propriè de Meteoris commentari  
& scribere notâsse, & sic in bonam partem acceptum fuisse; verùm  
etiam postea, in loquacitatis & vanitatis significationem venisse,  
uno atqve altero testimonio Platonis demonstrat, p. 1041.

#### IV.

Meteorum est corpus imperfectè mixtum, ex  
exhalationibus aut vaporibus è terrâ vel  
aqvâ, astrorum & ignis subterranei virtute ac  
calore excitatis & elevatis, ad Sublunarium com-  
moditatem efformatum.

#### E Εὑγῆδα.

§.1. De Genere satis intricata vertitur controversia, an il-  
lad per Corpus imperfectè mixtum, an verò per Affectionem sal-  
tem describendum sit. Nos Excell. Dn. Scharffum secuti, ob inven-  
ratam docendi rationem, Meteorâ corpora imperfectè mixta vo-  
cavimus, qvoq; sensu talia dicantur, thesi secundâ planum fecimus.

§.2. Ut autem trita Philosophorum sententia dilucidiūs  
explanetur ac stabiliatur, dicendum foret, Meteorum vel abstracti-  
vè vel concretivè considerari. Abstractivè prout Forma Meteori, (qvæ  
ex Piccolominei, Magiri, Bartholini & aliorum complurium senten-  
tiâ accidentalis est, & vapore vel exhalationi inhæret, unumqve  
Meteorum ab altero distinguit) in se consideratur, ubi cum Aristot-  
ele Meteorum πάθος sive affectionem vocare possumus: vel  
concretivè, qvatenus illud ex formâ accidentali & vapore vel ex-  
halati-



halatione concretum expenditur, quo respectu utique corpus imperfectè mixtum vocari, & sic à nobis describi potuit.

§.3. Et hoc Extell. Dn. Scharffius quodammodo videtur intendere, scribens: corpora imperfectè mixta vulgo dicuntur Meteora. Qvod si accuratiū hic debeatū statuere, potius dicendum erit, qvōd imperfectè mixta corpora sātem sint duo, Vapor & Fumus. Hæc enim corpora sunt ex elementis aliquo modo conflata, qvorum impressiones & variae figurations accidentales sunt, & dicuntur Meteora. Spec. Phys. l.4. c.1. p.398.

§.4. Genus itaque fuit corpus imperfectè mixtum. Differentia fuit defumta à caussis tum internis tum externis, qvas sub-  
sicere cum animo decretum fecimus.

V.

Meteori considerandæ sunt cūm Caussæ, tum  
Adjuncta. Caussæ sunt vel externæ Efficiens  
& Finis, vel internæ Materia & Forma.

Eπίγνωσις.

In omnibus enim cūm physicis disputationib⁹, tum  
& in reliquis disciplinarum generibus plurimum & lucis & emolumenti adfert caussarum consideratio: verissimum enim est illud  
Aristotelis: οὐδὲν τὸ μέτεορον ἔχει τὸν αὐλόν. Stanlus l.2. Meteor.  
Hisce perspectis, & res habes perspectissimas, his ignoratis tota  
gnoratur Philosophia.

VI.

CAUSSA EFFICIENS EST VEL PRIMA VEL SECUNDA. Pri-  
ma est Deus; secunda vicissim vel principalis,  
eaq̄ve cūm Spiritus; tum Cœlum & Virtus astro-  
rum; vel minus principalis de qvā Th. VII.

Eπίγνωσις.

§.5. Caussam primam diximus Deum: ab illo namque omni-  
um rerum ortus & virtus dependet. Hinc ipsi Gentiles Meteora  
spectando, Deos, vel rectius Deum esse, qui cœli temperationem,  
fecun-



fecunditatem terrarum, aliarumque commoditatum complurium copiam largiretur, ac animos fulminibus, tempestatibus, nimbis &c. terret, conluserunt. vid. Cic. l.2. de natura Deorum: & sane, ut de hoc effectivo omnium rerum principio Poëta Buchananus in Psal. 135. egregie canit, is

Si quod vel cœcis clausum est penetrale tenebris  
Naturæ, quodcunq; libet de viscere terræ  
evocat, & liquido suspendit in aere nubes,  
Fulguribusque vagis venientes prævenit imbræ,  
deq; suis promit ventorum flamina Gazis.

§.2. Caussam secundam diximus (1.) spiritus, qui vel boni sunt, (quos quidem è scripturis perfectè cognoscimus) de quibus etiam non incommodè dicetur, quod & hi Meteora queant producere; vel mali, quos diabulos vocamus, qui non raro cum Meteoris conjugant se, eaq; aliquando producunt, aut quando tempestatem vident futuram, sagis & lamiis seu membris suis inservientes, id suggerunt, quæ præstigiis suis nugatoriis utantur: quibus peractis, se id ceremoniis suis, ut projectione lapidis post tergum orientem versus, turbatione aquæ in fossulis digitis factâ, strophioli nodis enodatis &c. effecisse putant. Audiat Barhol. Phys. spec. part. 2. c. 1. p. 145. Sed hæc non nisi Deo permittente fiunt.

§.3. (2.) Secundam caussam princip. constituimus cœlum & virtutem astrorum, & quidem ipsi cœlo in quo stellæ sunt & moventur, omnis agendi vis deneganda non est, cum & ipsum suam formam habeat, Sennert. Epit. Phys. l.2. c.2 p. 180. potissima vero actio in hæc inferiora, quæ à superioribus provenit, à stellis est, judice laudato Sennerto, d.l. In his autem chorum dicit Sol, astrorum princeps, qui radiis suis terram aquasvratefaciendo, quotidie magnam halituum copiam, Meteororum quippe materiam, in sublime elicit. Et hanc virtutem astris competere ipse Philosophus l.1. Meteor. c.2. edocuit, dicendo: ἐγινέτο τοις ἀνθρώποις σωματικής πάσης τοῖς τοῖς φορεῖσθαι πάσαις αὐτοῖς τοῖς δύναμιν καλεομένης ἔνειδεν. hoc est: oportet mundum inferiorem superioribus Latiōnibus (i.e. ut Conimbr. Tr. 1. c. 1. Meteor. explicant, cœlestibus corporibus, quæ in orbem agitantur) continentem esse, ut inde omnis ejus vis admittatur & regatur.



§.4. E qvibus jam facilè judicium ferre poteris de iis, qvæ etiam Meteororum speciem mentiuntur: qvalia sunt confligentium militum in sublimi spectacula, variarum in aëre figurarum **N**. **Phænomena**, horrendus armorum & tormentorum in aëre sonitus, item figuræ cæterorum animalium, qvemadmodum teste Philippo l.2. Phys. in Helvetiis in aere conspecti fuerunt duo Leones inter se certantes, qvorum alter alteri caput mordicus avulsit. Nam, ut Philippi verba nostra faciamus, hæ species non sunt propriæ ptereweg, aut res physicæ, sed sunt similes operibus artificum, qvia fiunt ab Angelis bonis aut malis, etiam si fortassis fiunt aliquā vaporum figuraione, & lucis tanquam colorum mixtura.

## VII.

**M**inus principalis instrumentalis caussa est calor vel frigus.

### Ethyraea.

§.1. De Calore, qvi cum frigore Meteororum caussam Instrumentalem constituit, communis quidem est sententia, eum motu & lumine fieri. De motu statuit Zabarella, qvòd cœlum calorem motu suo velocissimo, non per se, qvatenus motus est, sed secundariò, qvatenus nimirū rarefacit, attenuat & atterit partes aeris, & sic aërem attenuatum, calidum & igneum ferè efficit: sed hæc de motu res valde dubia est Sennerto Epit. Phys. p. 193. l.2. qvi insuper statuit, lumen suápte naturā efficere calorem, radiumqve compositum ex recto & reflexo plus calefaceré, qvām simplicem, non qvòd aerem collisione aliquā hi duo radii atterant, sed qvia illa portio luminis, qvæ in rectum progredi debeat, ab opaco impedita reflectitur, & cum radio incidente conjungitur, atqve ita virtus conjuncta fortior efficitur qvām dispersa, Id. ibid. pag. 196.

§.2. Verūm cùm hæc sententiarum divortia plus temporis & chartæ exigant, ac multas præterea alias hypotheses, qvæ alibi adhuc evincendæ vel discutiendæ forent, involvant, hæc vice illam controversiam aliis integrati tradimus, vel nobis in alium temporis articulum rejectam servamus, præsettum cùm non directè ad nostram Meteorologiam faciat. Sufficiat enim nobis cœlum in his inferioribus calorem producere, qvi, secundum Excell. Dn. Scharf-



*Scharffum*, aquam & terram pervadit, easque rarefacit, attenuat, & attenuando in halitus solvit, quos pariter in sublime effert, interventu levitatis, quae calorem & raritatem insequitur. Sicut & ipse Aristoteles dicit: *περὶ φυσικῶν ποιῶν.* l.5 de Gener. c.3.

§.3. Nec calor a cœlestibus corporibus saltem producitur, sed etiam partes suas hic sustinet *ignis subterraneus*, per quem in terræ visceribus multæ quoque exhalationes generantur: sicut & ipse Sennertus, Physicorum aquila, ignem subterraneum maximè concurrentem postulat. Nam quæ ipsius verba sunt, & in generatione metallorum ac mineralium, multæ exhalationes attolluntur, ut metallorum scrutatoribus notum, & venti atque alia Meteora non minus tempore hyberno, cum radii solares debiliores, quam tempore aestivo, generantur, *Epit. Phys. l.4.c.1.*

§.4. Frigus tandem etiam suo modo concurrit, quod exhalationes elevatas sursum que evectas congelat atque constringit. Sed de hoc & aliis plura in confictu exponemus.

### VIII.

**F**inis Meteororum est multiplex, preter *Physicum* tamen sæpè numero & *Politicalis* & *Theologicus*.

### Ethyphua.

§.1. Quemadmodum sapientissimus rerum opifex Deus, hominem, omnium creaturarum finem mirabiliter condidit, in quo nihil est, quod non ostentatione, quod non admiratione dignum, nihilque natura, in universo suo gazophylacio possidet, quo eminentius glorietur, aut vehementius sibi gratuletur: sic etiam omnia (sive in celo supra nos, sive in terrâ juxta nos in hac pulcherrima mundi compage conspiciantur) quæ mortalium saluti inserviunt, de largissimâ quasi Providentiae divinae scatebra proficiunt, quibus etiam sublimia naturæ opera Meteora, merito adjungenda dicimus, horumque triplicem potissimum finem contemplandum fistimus.

§.2. *Physicus* Meteororum finis est animantium salubritas, stirpium corporumque cæterorum commoditas. Illis enim existentibus sentimus aeris mutationem, qui ventorum afflato, venenatos absumento vapores, purgatur: de quo satis venuustum simile Pon-



*ianus l.3. Progymn. p.99. tradit: qvem admodum morborum jaſatio-  
niibus pecudum corpora supervacuos humores atque noxios cu m  
spiritibus faculentis amittentia purgari, atque ita ad vitam diu-  
turniora ſolente evadere: ſic opinantur eruditii elementa, humores  
non necessarios & supervacaneos & tanquam virulentos flatū in  
Meteoris amittere & quaſi renovari. Adde qvōd etiam totius Uni-  
versi perfectionem & ornatum elementorum vē adæquationē pro-  
vehant, ingens illud ſpacium, qvod inter cœlum & terram existens,  
etiosum aliās videretur variis & mirandis naturā actionibus affi-  
ciendo. Res enim (ut Meureri verbis utar p.46. Meteor.) quantum vi-  
alioqvi specioſae, pro nihilo haberí ſolent, niſi etiam actionem in-  
terduti aliquid edere cognofcantur... .*

S.3. Post hunc ſeqvitur *Politicus*, ubi rerum in Oeconomia  
gerendarum ſigna habentur, & qvovis anni tempore ſuas obſer-  
vationes, ad agrorum, plantarumqve culturam, ut eō melius vita  
peragatur politica, neceſſarias ſuppeditare viidentur.

S.4. Tandem ipsa Dei gloria ſupremus Meteororum finis eſt,  
ſiquidem ipſe ſuam ſapientiam, potentiam & providentiam per  
hac in totius mundi theatro ſpectandam exhibet, uti Gentiles,  
fatente Cicerone l. 2. de natu Deorum, non obſcuram Dei cognitionem  
exinde adepti ſunt, & ipſe Apoſtolus Deum hujusmodi  
ſpectaculis ſe coniudicatqve reliquissim confiterit, Ad. 14.17.

S.5. Hisce etiam Deus ter. Optimus Maximus nonnunquam  
ceu ſuis ad nos nunciis in futurorum uitit præſagium, unde Me-  
teora qvibusdam in aſtrīa & ſequentiā discriminantur, & ho-  
rum alia Gratiae Symbola, alia ira divina ſpectacula cenantur. Nam  
loquitur cum hominibus Deus, non modò humanā lingvā per  
ſacros vates, ut à peccatis avocentur & relipiant; ſed nonnun-  
quam ipſis elementis in formas & imagines diversas ad eorundem  
terrem compositis Conimbr. Tr. 1. c. 3. Meteor. Sed hac extremis  
ſaltē digitis attingentes, uberiorem hujus ſini explicationem  
Theologis relinquimus.

## IX.

**M**ateria Meteororum eſt vel *remota* vel *proxima*. Illa ſunt Elementa, hac eſt exhalatio.

EZL



## Ethyria.

§.1. Materiæ supra Th. IV. §.3. non nihil mentionem fecimus, qvæ jam paulò accuratiùs consideranda. Duplex potissimum statuitur. Ad priorem qvod spectat, elementa sunt, cum primis terra & aqua, qvæ duo, cùm partes habeant alias crassas, alias subtileas, qvæ à crassis vi caussæ calefacientis separari possunt; subtileas astrorum solisqve beneficio ascendunt, crassæ verò resident, *Magirus Phys. l.4.* unde sèpius matutino & vespertino tempore ex locis montosis, convallibus, fluminibus & paludibus ingentem halitum molem ascendere & sursum elevari videmus, licet horum generationem & mutationem oculis nostris usurpare nequeamus.

§.2. Aerem verò cum igne Meteororum materiam præbere non posse, hisce præsuppositis apparet: omnes enim ignis elementaris partes subtilissimæ sunt, de quibus nulla provenit exhalatio; aer verò qvamvis humidus, & crassis subtilibusqve constet partibus, ejus tamen subtilitas omni vapore rarius est, & purus præterea, nequit exhalationes emittere. *Magirus l.4. Phys. c.1.* Manet itaque qvòd terra & aqua tanquam materia remota, sola aptam Meteororum materiam proximam suppeditant.

§.3. Ulterius autem in exhalationem sive halitus, proximam videlicet materiam inqvirendo, ex antecedentibus cognitum supponimus, coelestia corpora, præcipue Solem & calorem, halitus & vapores extrahere, qvæ vaporum exhalatio uno nomine *ἀνθυμία* est Aristoteli, duplice rursus constans halitu: altero qvidem *qui αὐγὴ* i.e. vapor dicitur, halitus crassior humidus & calidus, qui ex aqua potissimum aquaeisque corporibus excitatus, & astrorum virtute sursum elatus, levisqve redditus ad medianam usqve aeris regionem elevari solet, de quo *Aristot. l.1. Meteor. c.3.* dicit, qvod sit *ἀνθυμός οὐρανοῦ ὑδατος*: & altero qui nomine generis per Synecd. *ἀνθυμία* & *ἀνθυμία* *καπνώδης*, item *καπνός*, sumida sive fumosa exhalatio, & fumus appellatur, halitus tenuior calidus & seccus, ex terris potissimum & locis arentibus virtute siderum excitatus, mediae quasi inter ignem & terram naturæ: Aristoteli vocatur *ἀνθυμός οὐρανοῦ πῦρ*. Si quem poetica delectet Syren, ille audiat Jovianum Pontanum, qui de horum ortu ita canit:



Terra etenim duplēm exhalat saturata vaporem.  
Humidus hic crasso q̄ve madens se corpore vix fert:  
aridus & calido suffimine prosilit alter.  
Accipit hos latē in gremium circumfluens aer.

§.4. Posterioris vero halitus, fumi, *Conimbricenses*, & cum illis *Sennertus*, illi *Tr. i. Meteor. c. i. iste Epit. Phys. l. 4. c. i.* duas rursum faciunt species, unam quidem ἐκ φλογῶσιν, in altiore aeris tractum evolantem, qvæ ex pingiori materia educitur, cui proinde acriter Solis calor inuritur: & alteram φλογιτῶν dictam, qvæ ex aridiore terra excitatur, nec ita promptè calorem Solis concipit, sed potius in ventorum flatū dissolvitur, vid. *Sennertus Epit. Phys. l. 4. c. i.*

§.5. Cæterū vaporī & fumo hoc invicem est commune, qvōd ab una eademq̄ve stellarum & cœli virtute producantur & eleventur, eundemq̄ve calorem ab intrinsecā Solis & astrorum efficientiā habeant invicem: differunt tamen tum ratione levitatis, qvæ magis inhæret fumo qvām vaporī, tum ratione caliditatis & siccitatis, tum ratione originis sive corporum ē qvibus evocantur; neq; statim unum ab altero penitus separatum elevari & subsistere, concludendum est: Fumo enim semper aliquid humoris adjectum est, qvo segregato non pateretur incendium; vapor semper partes qvādam siccas caloris actione productas obtinet, qvod coruscationes & fulgura indicant; unde etiam qvi suā materialē gravior est halitus, levioris alterius beneficio elevatur, & in altum tollitur, qvāmvis ubi ad medium aeris regionem veniunt, separantur, & exhalatio fumida altius attollatur, vapor vero subsistat. De qvibus videri poterunt *Magirus*, *Sennertus*, (*Piccolominus c. 5. Meteor.*) in locis citatis & alii.

X.

Tam multiplex est Meteororum *Forma*, qvām variè subjecta materia afficitur.

*Eγήγηνα.*

§.1. Sicuti alias difficilis est formarum cognitio, in quarum consideratione humi nostra repit scientia, ita & hoc loco de Meteororum formâ in varias Philosophi scinduntur opiniones. Quidam



dam enim id Meteororum Formam dicunt, per qvod unumq; vod-  
que Meteorum est id, qvod est: qvidam Meteori formam à formis  
elementorum distinctam esse constanter affirmant.

§.2. Nos verò missis illorum sententiis, formam Meteororū duplice t cum Piccolomineo l. Meteor. c. 5. considerari dicimus, vel ut Substantiam vel ut Accidens. Prior de Meteoris dici nequit, cùm sint imperfectè mixta, neq; ea sint distincta ab elementorum formā: posterior illa vis est, qvæ pro materia & loci qualitate hujusmodi halitus variis formis ac speciebus ornat & vestit: Stanhus l. 2. Meteor. Variæ enim & omnino diversæ sunt harum impressionum figuræ ac species, qvas ipsa natura miro qvodam ordine distingvit, illarumq; dissimilitudo in calore & siccitate, in densitate, raritate, in æquabilitate, cohæsione, dissitâq; partium distractio, in copiâ vel in opia materia, in gravitate & levitate consistit, Magirus Phys. l. 4. c. 1.

### XI.

Hactenus Meteororum cauſſæ, seqvuntur Ad-  
uncta, Locus, Tempus, qvibus additur & Divi-  
ſio. Locus totum illud est ſpacium, qvod à Luna  
ad Terram usq; porrigitur: Tempus præcipue  
Ver & Autumnus.

### Ez̄ygn̄jci.

§.1. Παιδεῖα τοῦ νέατο σελήνης τεῦται γίνεται, est ipsius Philosophi testimonium: Meteor. c. 4. qvando Meteororum locum describere ntitur, ut totum illud ſpacium, à terrâ ad Lunam usq; pertinens, cùm & illa qvæ in terrâ generari dicuntur, propriè in aere in cavernis terræ contento generentur, statuente laudatiss. Sennert Epit. Phys. l. 4. c. 1.

§.2. Cæterū loci ratione Meteororum generatio secundum diversas aeris regiones diſtinguitur. Nam in supremâ aeris regione ignita generantur Meteora, qvalia ſunt fax, ignis perpendicularis, bolis &c. Medium post hanc regionem maximè frigidam aqvea & aerea tenent, qvalia ſunt venti, grando, pluvia &c. In infimâ

qvo



qvoniam æque caloris ac frigoris est patiens, pro variâ diversâ æque  
radiorum Solis reflexione, ignita & calida, aqvea seu frigida Meteora procreantur, Meurerus Meteor. p. 40.

§.3. Tempus Meteororum, qvamvis qvælibet anni pars sit,  
potissimum Physicis ver & autumnus est, qvorum illud humiditate  
& exhalationum copiâ, hic verò calore cum siccitate temperato  
abundat. Æstivo enim tempore maximo Solis calore halitus absu-  
muntur; hyeme frigus excellens halitum ascensioni impedi-  
mento est, ex Magiri, Bartholini, Stanhusi, aliorumq; sententiâ.

### XII.

Triplcis verò generis sunt Meteora: qvædam  
enim ignita, qvædam aerea, qvædam aqvea.

### Ἐξήγημα.

§.1. Qyot capita, tot sensus etiam in hac Meteororum divisione  
inter Phylicos reperias, cùm aliis in hypostatica & emphatica,  
aliis in supera vel infra, aliis in ordinaria & extraordinaria. Sc.  
dividenda veniant: veruntamen, cùm hæc omnia potius acciden-  
tia Meteororum dicenda sint, communissimam Peripateticorum  
divisionem sequimur, eaq; in ignita, aerea & aqvea dispescimus.

§.2. Ignita sunt Meteora, qvæ ex halitum existunt incendiis,  
& instar ignis exardescunt. Aristoteli dicuntur ἡπερκαύματα live  
ardores succensi l. i. Meteor. c. 4.

§.3. Aerea dicuntur Meteora, qvæ aeris vehementius impuls,  
sigillitudinem qvandam habent, & in eundem dissolvuntur &  
evanescunt.

§.4. Aqvea nominantur, qvæ ex humida & calida exhalatione  
oriuntur, & vel humida sunt, vel in humores statim resolvuntur.  
Si diutius in hujus μετεωρολογίας pelago commorari gestas,  
Meurerus vel alias tibi prora puppisq; sit. Nos verò contractis  
jam velis portum feliciter ingressi, vel commissorum  
vel omissorum subnixè precamur  
veniam.

F I N I S.





Die Handlung nehmung Lenz gewidmet. Die Welle offig  
Von besetzten Gebwalt öffnbar. Dickeinheit der Antidote  
Der obengeschriebne anwalt und Leutnant ordneten  
Den anderen ab. Beleidung der, und Tonnen, und die  
Ding schändet sien ein. Es kommt mit den Detonanten. Dicke  
Rundschiffen sind die. Sie alle Personen bis auf einen  
Getötet. Da Sprung alle vor dem Schießbalken Instrument nicht  
erfolgt. Riesiger, der am Feind gesetzt, und in offig  
Fium gefast. Riesiger ist immer wichtiger Gewicht  
Durch Boot und andere verdeckt von Landes und Land  
Wand unter Wasser fahrt, das Tiefenfahrer, und

21 22

A. D.  
DISQVISITIO PHYSICA  
*De*  
**METEORIS**  
IN GENERE,  
*Quam*,  
Inclutæ Facultatis Philosophicæ  
consensu  
SUP. PRESE

